



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

5. Discrimen inter Ioseph & fratres, inter Daudem & Saulem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

IV.
Ruth, 1. 8.

Vis alias duas animas molentes in mola videre, quarum vna assumpta, altera relicta fuit? intueri Orpham, & Ruth eius vel sociam, vel sororem. Neque enim in vna modò ciuitate, & inter eosdem idololatrias educata, sed etiam, vt quidam, apud Abulensem, volunt, eadem matre nata fuerunt, cum Noëmi ad illas dicat: *Ite in domum matris vestrae*, non matrum vestrarum; quod dicere oportebat, si duas matres habuissent. Haec duae sorores duobus nupserant fratribus ex filiis Israël, filiis Noëmi. Igitur ambae eandem à Deo habuerunt vocationem; ambae sororum suam Noëmi poterant comitari, & adeò veræ religionis legem amplecti: ambae iisdem tentationibus fuerunt agitatae: ambae amor patriæ, ambae parentis affectus, ambae notorum amicorumque familiaritas, ambae Deorum suorum inueteratus cultus domum retrahebat, impediēbatque ne Noëmi sequerentur. Et tamen vtriusque factum, consiliūque fuit planè diuersum. Orpha maior natu, tentationibus succubuit, & ad idola rediuit; Ruth natu minor, tentationibus superior idola deseruit, & triumphauit. Cur id & altera facere non potuisset? Non fecit; in causa fuit, noluisse.

V.

Mitto Iosephi innocentiam, & mansuetudinem, fratrumque eius malitiam atque immanitatem. Eodem patre omnes fuere geniti, non tamen eadem virtute præditi, in diuersum abierunt; non quò eos Deus traxit, sed quò liuor & vindicta impulere. In regibus id ipsum ostendo, & quidem primis illis, Saule & Dauide. Corruit domus, non stetit regnum Saulis, non corruit domus, sed stetit regnum Dauidis. Vterque rex, & quidem eiusdem populi, enimuero à Deo vocatus, & imperio vinctus fuit; sed non vterque super eodem fundamento regnum adificauit. Ille, spreta obedientia Deo debita, mantelo quodam religionis, & prætextu sacrificandi, suo iudicio nixus, vt faceret, quod vellet; quod Deus voluit, non fecit. Melius lirasset, si voluntatem potius, quàm boues, obtulisset. David sceptrum stabiluit, quia cor suum secundum cor Dei direxit. Potuisset, & Saul cor suum sic aptare. Sed non erat illi commodum differre victimas; ira more communissimo magnatum nõ se religioni, sed sibi religionem accommodauit; hoc est, non voluit ipse
Deo,

1. Reg. 15. 23.

DEO, sed DEVM sibi seruire. Quod fundamentum, cum sit futile & peruersum, necesse fuit regnum illius collabi.

Quid? non in eodem agro dumtaxat, sed etiam in vno eodemque templo fuerunt Phariseus & Publicanus, quorum vnus assumptus, alter relictus est. Nam inflatus superbia Phariseus in ventis atque inani gloria edificauit; eapropter *flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.* Excidit enim Phariseus, & omnia illius ieiunia, omnes decimæ, omnes elemosynæ perierunt in superbia scopulos allisæ. Quis eas allisit? nonne ipse, cuius oratio, fuit iactatio? & affectus, aliorum contemptus? Publicani autem preces sunt auditæ, quia *oratio humiliantis se penetrat nubes.* Optimum fundamentum fuit humilitas & contemptus sui. Itaque vtrumque contemptus promouit, sed Publicanum contemptus sui, Phariseum contemptus aliorum; illum, vt justificaretur, hunc, vt condemnaretur. Potuisset & Publicanus contemptum hunc in alios, & Phariseus in se ipsum torquere; sed assumptus est Publicanus, qui nixus est veritate; projectus Phariseus, quia cum mille sui ipsius contemnendi causas, non secus atque Publicanus haberet, alios ingenti vanitate contempsit. Numquid non iustum fuit iudicium Omnipotentis?

Sed & Apostolos consideremus. Cecidit Petrus, cecidit Iudas. Ille Christum negauit, hic etiam vendidit. Vterque Apostolus fuit, vtrumque in suum assumpsit Dominus comitatum: vtrique corpus suum in escam, & sanguinem in potum præbuit. Vterque præuariçatus est. Ille fuit negator, iste proditor. Denique vterque suspensus est, ille in cruce, hic in arbore. Sed ille assumptus est de cruce ad cælum, sessurus super vna duodecim sedium, & Mundum totum iudicaturus; iste de arbore raptus est ad Orcum, avaritiæ, furci, prodicionis, ingratiitudinis, desperationisque suæ poenas æternas luiturus. Vnde hæc diuersitas? inter tot rebus pares, quare tam dispar est exitus? Nimirum diuersis fundamentis erant inædificati. Petrus in petra (*petra autem erat Christus, qui respexit Petrum*) Iudas in crumena. Petrus timore peccauit, Iudas cupiditate. Petrus non diu in peccato permansit: Iudas deliberatè deliquit. Nam vix tertia vice Petrus

H h h h ; nega-

VI.

Luc. 18. 10.

Matth. 7. 27.

Eccli. 35. 22.

VII.

Matth. 26. 69.

Matth. 26. 47.

Luc. 22. 61.